


HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
16 Nov., 1886.



DE

HECYRAE TERENTIANAE ORIGINE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS HILDEBRANDT

POMERANUS.

HALIS SAXONUM MDCCCLXXXIV.

IENAE, TYPIS OFFICINAE FROMMANNIANAE

(H. POHLE).



PARENTIBUS SACRUM.

De Hecyrae Terentianae origine.

I.

Nulla esset de Hecyrae origine quaestio, si Donatus ut in ceteris fabulis sic in Hecyrae quoque prologis de Graeco fabulae auctore aliquid tradidisset: quod eum in hac sola comoedia praetermisisse iusto miramur: verum quo pacto id factum sit disserere et quantum quidem possimus disceptare huius loci non est.

Revocandum igitur nobis est iudicium ad testimonia quae ex antiquitate ad nos pervenerunt didascaliarum et Donati.

Quinquies in Donati ad Hecyram commentario Apollodorum Carystium Graecae Hecyrae auctorem claris verbis commemorari videmus his locis:

1. ad act. I sc. 1. vs. 1—2.

'Per pol quam paucos reperias meretricibus
Fideles evenire amatores, Syra.'

Donat.: 'Quidam non p a u c o s sed p a u c i s legunt.
Sic enim Apollodorus:
αλπα ΙΣΧΡΑΣ ΤΗΣ rei *ΙΟΝΗΝΣ*
ΤΗΡΑΙΣΣΙ ΡΑγγιβαιωΣ' 1)

1) Quae verba e restitutione Tan. Fabri ita leguntur:

Οὐδέποτ' ἐραστὴς ταῖς ἑταίραισι συνέβη Βέβαιος.

Post eum Bentleius huic loco manum emendatricem admovit: habet enim in commentario ad h. l. haec: 'Ita dedit Lindenbrogius ex codice scripto: quae prima specie Sibyllae folia videantur: ea tamen et sententiae iudicio et versus ratione non difficulter in pristinum statum reduxi:

ΟΛΙΓΑΙΣ ΕΡΑΣΤΗΣ ΓΕΓΟΝ' ΕΤΑΙΡΑΙΣΙ
ΣΥΡΑ ΒΕΒΑΙΟΣ.

Meinekius in Com. Gr. frg. IIII. p. 444 sq. exhibet:

ΕΤΑΙΡΑΙΣ, Ω ΣΥΡΑ.

2. ad II. 1. 17.

'. . . . quae me omnino lapidem non hominem putas.'

Donat.: 'Sic Apollodorus:

*Σὺ μὲ παντάπασιν *e ΗΣΑΙ λίθον'* [1])

3. ad III. 1. 6—7.

'Nam nos omnes quibus est alicunde aliquis obiectus labos,
Omne quod est interea tempus prius quam id rescituumst lucrost.'

Donat.: Totum Apollodori est qui sic ait:

ΟΙΓΑΡ ΑCICOYNIEC ΤΟΝ χΡωCΝΟΦ ΔιeΝΤΙΚΗΚΟΤΗΣ [2])

4. ad III. 3. 20.

'Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.'

Donat.: 'Mire dixit "dant sese". Homerus:

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sed hic sese illo et validius dixit, et est haec *καθολικὴ* sententia. Apollodorus:

Οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν ἢ ταπεινός' [3]).

5. ad III. 4. 26 sq.

'Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius,
Cadaverosa facie.'

Donat.: 'Imperite Terentium de Myconio "crispum" dixisse aiunt, cum Apollodorus "calvum" dixerit, quod proprium Myconis est: ut Lucilius

---

1) Westerhovius habet ἡγήσαιο λίθον. Equidem cum Meinekio l. l. p. 445 restituerim ἡγεῖ.

2) Haec ex coniectura ita restituit Westerhovius:

ΠΟΝΟΙ ΓΑΡ, ΚΑΚΟΝ ΕΣ ΤΟΝ ΧΡΟΝΟΝ ΟΥΚ ΕΙΔΕΝΑΙ ΚΕΡΔΟΣ ΤΙ.

Cum quo ita discrepat Meinekius l. l. p. 445, ut vix eundem utriusque emendationi locum subesse censeas:

ΟΙ ΓΑΡ ΑΤΥΧΟΥΝΤΕΣ ΤΟΝ ΧΡΟΝΟΝ ΔΙΕΥΤΥΧΗΚΟΤΕΣ.

3) Versum restituit Meinekius p. 445 ita:

Οὕτως ἕκαστός ἐστι διὰ τὰ πράγματα
Ἢ σεμνὸς ἢ ταπεινός.

"Myconi calva omnis iuventus".

Unde etiam proverbium Graecum "*Μυκώνιος φαλακρός*". Sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse' [1]).

Denique adnotatur in Donati commentario ad act. V. scaenae 3. — ubi de vitiata virgine narrat Bacchis a v. 24 usque ad v. 34 — v. 25:

'Brevitati consulit Terentius: nam in Graeca haec aguntur, non narrantur.'

Cum iamdudum de hoc loco propria mihi sententia constaret, nuperrime in duabus dissertationibus, Ihnii atque Koenighoffi [2]), plane diversum in modum de eo agi intellexi. Nam Ihnius quidem acerrime in grammaticum invehens 'Quid?' ait 'hocine credibile? Ea quae ante decem menses et in domo meretricis facta sunt, aguntur in Graeca fabula, non narrantur? Tam hoc ineptum est ut verbis in eo refellendo parcere liceat.' Quare has nugas a Donato profectas esse negans duas quibus quod sentit comprobet causas invenit: sed in utraque eum a vero aberrasse haud difficile est perspectu. Primum quidem Donatum, cum scriberet verba

'brevitati consulit Terentius'

id secutum esse censet, ut 'brevitatis studiosum poetam' ostendat 'non moratum esse in iis quae minus necessaria fuissent, sed statim fecisse meretricem interrogantem unde anulum Pam-

---

1) Recte Donatus: ita enim magis quam inconsiderate et festinanter verba Pamphilus effundat cernitur. Neque hanc solam significationem, sed ceteras quoque 'magnus', 'rubicundus', 'crassus' eum in modum accipiendas esse censeo. Vide Meinek. l. l. II. p. 175 sq.: 'Myconus insula exilis fuit et infecunda, unde non mirum est incolas eius tanquam famelicos et alienarum opum appetentes irrisos esse. Ita iam Archilochus Periclem quendam ἄκλητον Μυκονίων δίκην εἰς τὰ συμπόσια εἰσπεπαικέναι dixerat . . . . cf. Phot. lex. p. 279, 15: Μυκόνιος γείτων· αὕτη τάττεται κατὰ τῶν διαβεβλημένων ἐπὶ γλισχρότητι καὶ σμικροπρεπείᾳ παρὰ τὴν σμικρότητα τῆς νήσου τῆς Μύκωνος (Μυκόνου) καὶ εὐτέλειαν. Quibus similia leguntur apud proverbiorum scriptores.'

2) Ihne, quaestiones Terentianae p. 23. Koenighoff, de ratione quam Terentius in fabulis Graecis latine conscribendis secutus sit p. 29.

philus nactus esset, non ubi fuisset, unde veniret, quid egisset.' At quid simplicius, quid ipsi rei aptius potuit cogitari quam ut de anulo Bacchis inciperet interrogare, qui oculis statim occurreret? At vero ne incipit quidem Bacchis de eo interrogare, atque aperte Donatus, si illa scripsisset, esset hariolatus, quippe qui quae proxime praecedunt

'mi Pamphile . . amabo, Quid exanimatu's obsecro?' —

nec respexisset neque omnino vidisset.

Tum Ihnius quae reliqua sunt

'nam in Graeca haec aguntur, non narrantur'

alterum magistrum, 'memorem eorum locorum, in quibus brevitatis causa post scaenam rettulisse fertur Terentius quod potuit in scaena repraesentare, ratumque idem hic valere', adscripsisse putat.

At qui sunt illi loci? Duo eiusmodi, quod videam, in Donati commentariis exstant. Ex quibus cum alter[1]) ad hanc rem nihil omnino faciat, alter respiciendus est, qui est in comm. ad Andr. 5, 6, 13:

'Quia et audacter et artificiose binos amores duorum adulescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est et id extra praescriptum Menandri, cuius fabulam transferebat: idcirco aliud in proscaenio, aliud post scaenam rettulit: ne vel iusto longior fieret vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur.'

At ne hic quidem Donatus simpliciter brevitatis causa Terentium aliquid e proscaenio removisse tradit, sed quia et 'binas nuptias in una fabula machinatus' solito diffusius longiusque rem disponere erat coactus, et a nimia argumentorum similitudine spectatoribus molesta abhorrebat.

Non magis, cum Ihnii sententia reiectanea visa sit, cum Koenighoffo faciendum esse existimo. Qui rationem contrariam secutus Donatianum illud ita accipiendum esse censet, ut non de actione ipsa, sed de sermone inter Pamphilum et Bacchidem habito cogitetur, in quo, quae ante 'menses decem fere' acta erant, enarrata sint. Eam vero quam vult vim

1) ad Andr. 1, 4, 1.

'agere' verbo inesse posse cum e duobus Ciceronis locis tum e Donati ad Andr. I, 1, 1 adnotatione [1]) emergere vir doctus docet. Et quamquam, si in 'agere' voce summam totius rei ponimus, facile sententia eius videtur probari posse, tamen Donatus, ut verba respicientibus nobis quod ille vult probare videtur, ita, si sententiam sequimur, refellit. Nusquam enim, quod sciam, praeter eos, qui supra allati sunt, locos Terentius quae in Graecis fabulis ei praesto erant quodammodo amputasse aut in breviorem formam coegisse a scholiasta dicitur: contra Donatus, ubicunque qua ratione et via fabulas composuerit poeta explicat, cum alias amplificasse eum Graecum exemplar — sive ex altera fabula aliquid transtulerit sive εὑρετικῶς de suo addiderit — docet, tum in scaenae formam quod unus apud Graecum poetam loquebatur redigere eum solitum esse. Cuius rei quamvis multa Donati testimonia proferre possim, unum, quod praeter cetera luculentum atque perspicuum est, hic ponere satis habeo. Legitur enim in commentario ad Eun. III, 4, 1:

'Bene inventa persona est cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur: ut apud Menandrum' [2]).

Porro nititur Koenighoffus in Horatii loco Ep. ad Pison. v. 182—184:

'. . . . . . . non tamen intus
Digna geri promes in scaenam multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.'

Sed aliud Horatium sensisse, aliud interpretem intellexisse monendum est. Aspicite, si placet, ea quae statim afferuntur a poeta exempla: iam videbitis, non ea digna quae intus gerantur iudicare Horatium, quae levioris momenti sint, sed ea

1) 'Haec scaena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur: ut virtute poetae, sine officio prologi, vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, et periocham fabulae populus teneat et res agi magis quam narrari videatur.' — Addendae erant Donati adnotationes ad Phorm. I, 1 et ad Hec. 1, 2, 22.

2) Eiusdem generis est adnotatio ad Eun. II, 2, 23: dubitare licet de locis ad Phorm. I, 1 et ad Andr. I, 1.

quae terribilia sint atque horrenda. Ex quo sequitur ut Horatii loco vir doctus uti non possit ad 'brevitatem' grammatici explicandam[1]).

Quid vero? Si Terentius personam eam, quae in Graeca fabula bis vel ter fortasse aliquod verbum Bacchidis narrationi interposuit, loco summovisset, numne id esset brevitati studere? Tum vero estne hic mos Terentii? Donatum aliter iudicare supra vidimus. Atque re vera, si spectamus — ut alia omittam — in Hec. I, 1 Philotidis, mox Parmenonis narrationes, porro quae in Eun. I, 2 Thais exponit: nusquam non, ut expeditior sit actio, narrationibus a Terentio paucorum verborum interfationes misceri facile est intellectu.

Unum videtur relinqui, ut ita intellegamus verba Donati, esse re vera ea quae Bacchis narrat in Graeca fabula gesta. At quae esset illa insania! Illud honestum poetam in scaenam produxisse?! Tum quod erat tandem Graecae fabulae argumentum, aut ad quantum temporis spatium patebat? Necessario duae fuissent fabulae partes, inter quas decem mensium spatium intercessisset.

Luce igitur clarius est Donato haec tribui non posse, quippe quem acerrimi iudicii elegantissimaeque doctrinae virum fuisse e sexcentis commentarii locis intellegere possimus. Accedit quod grammaticus ipse ubicunque in commentariis Graecam fabulam quam Terentius secutus est commemorat, auctoris Graeci — Menandri vel Apollodori — nomen addere solet: quod nomen hic deest. Quis igitur est verborum illorum auctor? Nempe idem ille interpres vel eidem illi interpretes, qui totiens veri Donati adnotationes incredibilibus erroribus atque ineptiis contaminaverunt. Sic ille quoque error dubito num Donato tribuendus sit, qui continetur in adnotatione ad Hec. V, 4, 12:

---

1) Magis in viri docti sententiam quadraret Donati adnotatio ad Eun. III, 4:

'In hoc proloquio insinuatio personae eius est, cui narraturus est Chaerea, quae a se post scaenam facta sunt. Fit autem hoc populi causa, ut spectator auribus accipiat, quod subicere oculis poeta non potuit.'

'Et memento hanc esse, cui in principio nihil celaverit Parmeno.'

Nam nihil hic dubium est, quin qui haec scripserit, cum Bacchidem dicat, Philotidem habeat in mente. Neque illud a Donato profectum esse opinor, quod Hecyrae locus [1])

'Adest Parmeno cum pueris'

sic explicatur:

'Quia idem Parmeno est secretorum conscius, addidit "cum pueris".' An vero, puerum esse servum, Donatum ignorasse putabimus?

Sed quoniam, quae rationes criticae in Donati commentario purgando atque restituendo adhibendae sint, adhuc parum constat, e natura autem eius et indole certa concludi nequeunt, suspicari haec quam pro certis profiteri malo.

Redeo unde digressus sum.

Donatus igitur quotiens in commentario Graecam fabulam commemorat, constanter Apollodorum esse Graecae Hecyrae auctorem pronuntiat. Quid si id ipsum, Apollodori esse fabulam, duobus aliis locis in dubium revocare videtur? In epimetro enim eius ad Suetonianam Terentii vitam leguntur haec:

'Duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra: quattuor reliquae a Menandro': —

et in praefatione ad Hecyrae commentarium p. 12 Reiff.[2]):

'Haec [cum] fabula Apollodori dicitur esse Graeca. Nam et ipsa et Phormio ab eodem dicuntur esse translatae, cum reliquae quattuor sint Menandri comici.'

Multi viri docti in hac difficultate disceptanda versati sunt. Primus Ritschelius ceterarum praefationum locos eos, in quibus de fabularum origine agatur, comparandos esse docuit.

Legitur enim in

praef. ad Andr. p. 3 Reiff. '. . . de loco nomen accepit et a Menandro prius et nunc ab ipso Terentio.'

---

1) III, 3, 49.

2) 'Donati in commenta Terentiana praefationes' ex recensione A. Reifferscheidii. Ind. lect. Vratislav. LXXV/LXXVI.

praef. ad Eun. p. 9 R. 'et est palliata Menandri vetus.'

praef. ad Ad. p. 6 R. 'Haec fabula Adolphoe palliata.'

praef. ad Phorm. p. 14 R. 'Hanc comoediam manifestum est prius ab Apollodoro . . . graece scriptam esse quam latine a Terentio Phormionem.'

Ex quibus cum abhorrere illud 'dicitur' a consueto more dicendi Donati perspicuum sit, Ritschelius cur scholiasta minime cum suo commentario consentiens de auctore videretur dubitare, hanc causam fuisse suspicatur [1]).

„Man sollte fast glauben, Donat habe ein griechisches Stück des Apollodorus gar nicht in Händen gehabt, sondern die wenigen Parallelstellen, die er im Commentar zur Hecyra des Apollodorus anführt, bei älteren Interpreten vorgefunden und nur daher entlehnt [2])."

Postea Ihnius [3]), quod Ritschelius admodum dubitanter de una Hecyra opinatus est, satis confidenter in omnibus fabulis Terentii locum habere professus est: nam quaecunque e Graecis fabulis afferret Terentius, non ex ipsis exemplaribus, sed ex antiquiore quodam commentario esse hausta.

Quid vero? Ihnium, cum argumenti Rischeliani vim augeat atque amplificet, tamen id ipsum quod Ritschelius eo efficere vult non modo non sustentare, sed prorsus redarguere atque refellere quis est quin videat? Nam — ut concedamus Donatum non ipsum Graecae Hecyrae exemplar, sed commentarium tantum recentioris cuiusdam grammatici inspexisse eaque de causa de Graeco fabulae auctore dubitasse — si non Hecyrae solum liber Graecus, sed ceterarum omnium fabularum libri ei defuerunt,. nonne in omnibus praefationibus, ut in Hecyrae, 'Apollodori — vel Menandri — esse dicitur' ei erat pronun-

1) Parerg. p. 326.

2) Quae Ritschelius praeterea affert, cum non tam ad Donatum, quam ad Hecyrae contaminationem spectent, hoc loco praetermittenda sunt. Nescio tamen an hoc ad Donatum pertineat, quod in tota antiquitate Apollodori Hecyram non commemorari dicit: ut hac re de Graeco auctore Donatum incertum factum esse censeat.

3) l. l. p. 13.

tiandum? At confidenter de ceterarum fabularum origine eum dicere supra vidimus. Quid igitur relinquitur? Nempe ut alia ratione Donatus de fabulae origine certior fieri potuerit. Et vero iam nemo dubitat, quin in praefationibus scribendis didascaliae ei praesto fuerint. Laudandus igitur maximo opere Geppertus [1]), qui primus didascaliis eis quibus Donatus usus esset animum advertens inde illud 'dicitur' fluxisse suspicatus est. Sed comparemus eas quae ad hanc quaestionem pertinent praefationum partes: iam quid sibi velit Geppertus intellegemus.

Legimus enim in praefatione ad Andriam p. 3 Reiff.:

'haec prima facta est . . . et est tota Graeca': —

item in praef. ad Ad. p. 6 sq. R.:

'haec fabula Adelphoe palliata (scil., quod post profitetur, Menandri). — hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam . . .'

in praef. ad Eun. p. 9 sq. R.:

'et est palliata Menandri vetus . . . — haec edita tertium est . . .'

denique in praef. ad Phorm. p. 14 R.:

'hanc comoediam manifestum est prius ab Apollodoro . . . Graece scriptam esse . . . — editaque est quarto loco . . .' [2]).

---

1) "Über die Terentischen Didascalien". Archiv für Philol. u. Pädagogik. Suppl.-Bd. XVIII. 1852. p. 566 sqq.

2) Adnotandum, prope a Donati lectione abesse earum quas nos habemus didascaliarum lectionem. Legitur enim in Bembino — ut hunc tantum testem afferam — in Eun. did.:

Graeca Menandru. Facta secunda.

in Phorm. did.:

Graeca Apollodoru Epidicazomenos. Facta est IIII

in Adelph. did.:

Graeca Menandru. Facta VI.

Errore Donati bis, in Andriae et Hecyrae praefationibus 'tota' verbum ad 'Graeca (est)' referri nunc iam inter omnes constat.

At vide quid exstet in praefatione ad Hecyrae commentarium p. 12 Reiff.:

'[Modulatus est eam Flaccus Claudius tibiis paribus.] tota Graeca facta est et edita quinto loco.'

Quid enim? ait Geppertus. Nonne in omnibus praefationibus verbum 'facta' sive 'acta' ad numerum spectare manifestum est? Hic vero refertur ad 'Graeca est'. Itane Donatum res diversas confudisse? Minime vero. Quid si hoc in eius libro scriptum fuit:

'Modos fecit Flaccus Claudi. tibiis paribus tota. Graeca ..... Facta est et edita V.' —? Hinc illud 'dicitur'! Nam quamquam in didascalia poetae nomen non exstabat, ipsum Donatum de Hecyra ab Apollodoro facta dubitare non potuisse eo colligitur, quod ipse saepius in commentario locos ex illius fabula, manifesta testimonia, affert.

Sed improbanda omnino est, si quid sentimus, tota Gepperti argumentatio. Principio Donatum, virum, ut supra diximus, acerrimi iudicii elegantissimaeque doctrinae, adeo diversa miscuisse minime probabile videtur. Sed miscuerit tandem et aberraverit a vero miro et inaudito modo: quid ut significaret? Eum, qui didascaliam scripsisset, de ea re dubitare? Minime: nam utrum consulto an casu ille auctoris nomen omisisset, erat nimirum incertum. Sed si hoc vel maxime constaret, quod minime probabile videtur, si Donatus igitur illo 'dicitur' dubitare illum vel alios de Apollodoro significare voluisset, ita fere dicere debuit: 'Graeca Hecyra num sit Apollodori sunt qui dubitent.' Verum ipse Donatus cum alios Apollodoro fabulam abiudicare, alios attribuere tradat, de se ita tacet, ut dubitare videatur. At quo tandem modo ille potuit dubitare, qui ipse, sive ex Apollodori libro sive ex aliorum commentariis quos affert locos deprompserat, ipse dico certissimus erat testis? —

Denique falsum esse id quoque in quo Gepperti argumentatio quasi nitatur, paucis possumus ostendere. Etenim si accurate Donati praefationes contemplamur, haud difficile est perspectu, certum quendam ordinem eum servare non

solum adnotationum earum, quas e didascaliis hausit, sed earum quoque quas ipse interposuit. Cui ordini illustrando hae tabulae aptae erunt:

A. Ordo adnotationum e didascaliis haustarum.

1. de nomine poetae et fabulae.
2. de nomine Graeci poetae (exemplarisque Graeci).
3. Quibus ludis fabula acta sit.
4. Qui curatores ludorum fuerint.
5. Quis primarum partium actor fuerit.
6. Quis modos fecerit.
7. Quales tibiae adhibitae sint.
8. de numero fabulae.
9. Qui consules fuerint.
10. de eventu.

B. Ordo adnotationum a Donato interpositarum.

a. utrum fabula sit motoria an stataria et de universo fabulae argumento.
b. cui personae sint primae partes, cui secundae etc.
c. de prologo.
d. de protasi, epitasi, catastrophe.
e. de propria fabulae significatione.
f. de diverbiis et canticis.
g. quae sint in fabula *προτατικὰ πρόσωπα*.
h. proprie notata.
i. de fabulae oeconomia.

Quas adnotationes Donatus ita coniunxit et miscuit, ut hic sit ordo earum in praefationibus adhibitus:

Andr.:	1. 2.	a b c d	8	34567	9 e f g h
Eun.:	1. 2.	a b c d	i	34567	10 f g h 8 e 2
Ad.:	1. 2.	a b i c d		345 7	g 8 e h
Hec.:	1. 2.	a b i c d		34567	f g h
Phorm.:	1. 2.	a b c g		34567	f 8 9 i h

Videmus ergo, haud raro ordinem adnotationum a Donato mutari, sed nunquam non in secundo loco Graeci auctoris nomen ab eo reponi.

Ita Geppertum quoque iniudicatam nobis rem relinquere videmus.

Denique Carolus Dziatzko [1]) de hac re disputavit. Sed quae ex eius argumentatione alicuius sint momenti, a Gepperto sunt repetita: dein ulcus id, de quo agitur, non attingit, sed praeterit et quodammodo submovet. Ad quod iudicium comprobandum haec ex eius dissertatione adscribere sufficiat [2]):

„Donat hat in seiner Didaskalie sicher keins (scil. nullam exemplar Graecum) verzeichnet gefunden. — Dass wir in der Hecyra ein Stück des Apollodor vor uns haben, kann man mit ziemlicher Sicherheit aus denjenigen Stellen des Donat-Commentars schliessen, wo ohne ein Zweifel ausdrückendes 'dicitur' oder dergleichen Parallelstellen des griechischen Stücks als von Apollodor citirt werden.“

Denique quod illud 'dicitur' simpliciter ita explicat [3]):

„Hier (scil. in commentario) hat er die Parallelstellen ohne weiteres aus einem alten Commentar entlehnt, während er an den beiden erstgenannten Stellen (in auctario atque in praefatione ad Phormionem) auf eine andere Stelle Bezug nimmt“: —

sic sentire mihi videtur, ut aut Donatum incertum iudicii atque imbecillum iudicet, quippe qui quae alias docuerit, neglexerit vel oblitus sit, aut — ipse prorsus nihil agat.

Quae cum ita sint, verbi 'dicitur' explicationem satis probabilem neque adhuc prolatam esse neque omnino proferri posse conspicuum est. Nam ut paucis rem complectamur, Ritschelii quidem coniectura eiusmodi est, ut utrum vera an falsa sit diiudicari non possit: tum, utcunque quae Donato praesto fuit didascalia erat comparata, sive qui eam scripserat

1) Rhein. Mus. N. F. XXI. (1866) p. 76 sqq.

2) p. 76.

3) p. 77. adn. 19.

de Graeco auctore dubitans vacuum locum reliquerat, sive errore quodam idem quod apud Donatum excidit verbum omiserat, sive quod exstiterat in libro erat casu corruptum atque deletum, — Donato quidem utrumque erat indignum: et excidisse hoc loco aliquid non intellegere, et hoc neglecto diversa tam inconsiderato modo miscere atque confundere: neque tale quid in ulla praefatione admisit. Accedit quod maximo opere discrepant illi loci cum praefatione ad Phormionis commentarium: nam illic bis exstat:

'Hecyra et Phormio ab Apollodoro translatae esse dicuntur:' — hic:

'Hanc comoediam manifestum est . . ab Apollodoro . . . Graece scriptam esse.'

Iam tantum mihi abesse videtur, ut eae inconstantiae Donato tribuendae sint, ut contra his argumentis gravissimis unum ex Phormionis praefatione locum, quippe qui maxime concinat cum commentariorum testimoniis, ab ipso Donato, ceteros ab interpolatoribus profectos esse certo efficiatur. Attamen quis eorum auctor sit aut quo pacto in textum irrepserint, adhuc satis probabiliter explicare non possum.

Sequitur ut cum Donato cetera testimonia comparemus. Et quidem magnas hic exoriri difficultates quis est qui infitietur? Sane quadrat in hunc locum illud Terentianum 'Quot homines, tot sententiae', quia a tribus testibus tres fabulae exemplaria Terentianae Hecyrae nobis traduntur.

Nam Donatum quidem firmum et secum consentientem Hecyrae auctorem pronuntiare Apollodorum adhuc vidimus: contra in Bembini codicis didascalia nude legitur

'Graeca Menandru' [1]):

---

1) In Calliopii libris hanc didascaliae partem omnino desiderari constat. Et cum alii de hac re taceant, Carolus Dziatzko (l. l. p. 76) commemorasse eam sat habeat, solus Geppertus (l. l. p. 566) dubitasse forsitan Calliopium, num recte Menander auctor nominetur, cognovit. Nam quid mirum si is quoque, memor eorum in Hecyrae commentario locorum, ubi Apollodorum nominat Donatus, Bembini auctoritatem sequi dubitavit?

denique Apollinaris Sidonius [1]) haec memoriae prodit:

'Nuper ego filiusque communis Terentinae Hecyrae sales ruminabamus, studenti assidebam naturae meminens et professionis oblitus, quoque absolutius rhythmos comicos incitata docilitate sequeretur, ipse fabulam similis argumenti, id est Epitrepontem Menandri, in manibus habebam.'

Primum igitur dicatur de Sidonio. Quantas vero ille eis viris doctis, qui praeter ceteros in hac quaestione versati sunt, dico Ritschelium, Geppertum, Dziatzkonem [2]), molestias exhibuit!

Nam Ritschelius quidem Sidonii testimonio adeo commotus est, ut litem neque in hanc neque in illam partem disceptare ausus iniudicatam relinqueret. Attamen ea, quae in hac re maximi sunt momenti, illum primum recte significasse infra videbimus: eoque magis miramur, quod viae instituendae finibus tam accurate circumscriptis Geppertus, cum nimium tribuens Sidonii testimonio contaminasse Terentium Apollodori Hecyram adhibita Menandri fabula quae inscribitur *Ἐπιτρέποντες* temere opinaretur, adeo a vero aberrarit. Deinde Dziatzko non minus leviter rem tractavit. Nam postquam (p. 76 sq. adn. 19) docuit:

„An die *Ἐπιτρέποντες* des Menander ist also als Hauptoriginal gar nicht zu denken": —

post (p. 80) haec profert:

. . . . „ich war deshalb stets geneigt anzunehmen, dass die Hecyra aus zwei griechischen Stücken zusammengearbeitet sei. Schon oben bin ich auf diesen Punkt zu sprechen gekommen und ich habe bewiesen, dass wenigstens an die *Ἐπιτρέποντες* des Menander auf keinen Fall zu denken sei."

At supra id tantum, fuisse *Ἐπιτρέποντες* fabulam primarium Hecyrae exemplar, negavit! Tamen quasi res sit acta ne uno verbo posthac *Ἐπιτρέποντες* commemorat.

---

1) lib. IIII. epist. XII.

2) Ritschl, Parerga 326 sq. Geppert l. l. p. 566. Dziatzko l. l.

Ac ne eos quidem, qui nuperrime hac de re egerunt, quidquam profecisse eo ostenditur quod Wagnerus[1]) hoc habet:

. . . . 'die „Schwiegermutter", eine nach Apollodor von Karystos, doch vielleicht mit Zuziehung eines Menandrischen Stückes bearbeitete Komödie.'

Iam quid ipse de Sidonii testimonio iudicem, erit mihi exponendum.

Ac primum quidem errasse Geppertum censeo, quod etiam totas scaenas ex 'Epitreponte' Terentium in Hecyram transtulisse Sidonii verbis 'fabulam similis argumenti' effici putat. Nam eo uti illum genere dicendi quo fusius atque inflatius vixdum cogitari possit satis inter omnes constat, ut, si modo fide digna esse velimus ea quae Sidonius tradit, non, quod Geppertus facit, addere, sed detrahere verbis eius nos quantum possimus oporteat. Verum ne tum quidem, si non ita esset eius oratio comparata, sed simpliciter Epitrepontis fabulae argumentum simile Hecyrae fuisse esset accipiendum, id quod Geppertus vult confestim sequeretur. Immo hoc tantum Sidonii verbis efficitur, intercessisse quandam similitudinem inter Menandreae fabulae et Terentianae argumenta. Quod eo facilius fieri potuit quod novae comoediae Graecae poetae, alieni a rebus publicis, e privata vita repetebant fabularum materiem, quae quamvis ingeniose variata tamen eandem semper indolem prae se ferret et eosdem ostentaret personarum mores.

Quamquam non negaverim, residere aliquid difficultatis in verbis: 'quoque absolutius rhythmos comicos incitata docilitate sequeretur' etc., quippe quibus ea indicari videatur fabularum similitudo, quae non solum in totius argumenti, verum etiam in scaenarum sermonumque conformatione versetur. Sed enim fide plane indignum esse Sidonii testimonium, si difficultates extrinsecus quoque occurrentes gravissimas reputaverimus, nostro iure concludemus[2]).

1) Heaut. edit. 1872. praef. p. 11.

2) Tamen in eo nihil est offensionis, quod nomen fabulae Sidonius

Quae sunt igitur illa argumenta extrinsecus repetenda [1])?

Primum id quod Sidonius tradit suspectum est, quia ille scriptor posterioris aetatis solus testis est de fabularum similitudine. Ita vero rebus comparatis fidem habere non licet nisi ei scriptori, cuius fides per se satis certa atque probata sit. At tantum abest ut Sidonio confidere nobis liceat, ut etiam e dicendi genere gravem dubitationis causam repetendam esse supra viderimus [2]).

Porro levitatis vanitatisque crimen eum non fugere — quippe qui, num vera et recta sint quae indicet, exquirere supersedeat — ea certe re, quod inter Hecyram Terentianam et Epitrepontis Menandreae fragmenta ne umbra quidem similitudinis inveniri potest, luculenter cognoscitur. Sed si qui forte sunt quibus, quae adhuc in medium protulimus, non sufficiant, addo novum argumentum. Etenim — si quidem verum est, quod Ritschelius primus opinabatur, hausisse Donatum vel eius sectatores e veteribus commentariis Graecae fabulae notitiam — quid est causae, cur Donatus ex Apollodori Hecyra totiens afferat exempla, Menandri fabulam silentio praetereat?

Quae cum ita sint, eo res provecta est, ut actum sit de Sidonio, agatur de duobus illis quae restant testimoniis. At vide quanto opere ea inter se discrepent:

'Graeca Menandru', quod est in Bembino,

'Graeca Apollodori', quod tradit Donatus.

Itaque si uter testis potius sequendus sit quaerimus, pri-

---

non recte tradidit: etenim saepe in fabularum titulis significandis permutari numeros invenimus. cf. Grauert. Anal. p. 148 adn.

1) Primum Ritschelium ea recte composuisse supra commemoravi: quem hic aliqua ex parte sequor.

2) Neque aliter Godofredus Bernhardy (Grundriss der römischen Liratur[5] p. 844 sq.) de eo iudicavit:

„Allein er verschwendet Phrasen und Redefiguren, man merkt, dass es ihm nicht auf Wahrheit, sondern auf Glanz und schulmässige Rhetorik ankam: daher lässt sich der historische Werth, den seine Briefe verbergen, nur unsicher aus den Tiefen dieses dunklen und geschraubten Vortrags ergründen."

mum quidem Donatus Apollodori nomine quinquies repetito satis certus auctor videtur, cum fuisse omnino Menandri 'Hecyram' ex hoc uno didascaliae fonte intellegatur. Huc accedit, quod is qui illum titulum scripsit, facile de nomine potuit errare, Donatus nimirum non potuit: quod primus Geppertus [1]) monuit cum diceret:

„Es ist gar nicht unmöglich, dass der Schreiber des codex Bembinus, durch die Analogie der anderen vier Stücke, in denen 'Graeca Menandru' stand, getäuscht, auch hier ein 'Graeca Menandru' in seine Feder fliessen liess, das eigentlich 'Apollodoru' hätte sein sollen.“

Sed quamvis rectum videatur et fide dignum illud Donati 'Apollodori', quamvis dubium illud Bembini 'Menandru', tamen falsum esse 'Menandru' adhuc nondum exploratum est. Nam quid tandem impedit quominus utrumque rectum sit? quominus e duobus exemplaribus Graecis Terentii fabula sit composita, ex Hecyris Menandri atque Apollodori?

Quae cum ita sint, alia disputandi ratio necessario instituenda est, quae non versetur in argumentis extrinsecus haustis, sed in eis quae ex ipsa comoedia Terentiana quasi emergant. Nam si non duas fabulas Graecas, sed unam in conficienda Hecyra poetam adhibuisse e fabulae natura effecerimus, hoc certo concludemus, neque Terentium alia atque Apollodori fabula usum esse, et Hecyram Menandri esse somnium.

II.

Duo sunt quantum video loci, in quibus de fabulae contaminatione cogitandum esse censent viri docti. De altero Dziatzko [2]) haec disseruit:

1) l. l. p. 566. Calliopium quoque in eo quod Bembinus tradit addubitasse videri supra vidimus. — Geppertum Dziatzko hic quoque ita sequitur, ut de eius sententia accuratius disserere operae pretium non videatur.

2) l. l. p. 80. — ibid. adn. 25.

„Gleich in der ersten Scene des ersten Acts nämlich finden wir die Hetäre Philotis mit der Alten Syra in einem Zwiegespräch über getreue und ungetreue Liebhaber: ein Gespräch, das zwar im Allgemeinen passend ist zum Inhalt unserer Comödie, nothwendig aber keinesfalls [besonders vom 6. Verse ab]. In der zweiten Scene benützt sie noch Terenz, indem er ihnen von dem etwas geschwätzigen Sklaven Parmeno das Argument erzählen lässt. Da sie im weiteren Verlaufe der Handlung mit keiner Silbe mehr erwähnt werden, so liegt der Gedanke nahe, dass die erste Scene anders woher entlehnt . . . sei. Vgl. Donat. zu Hec. I, 1, 1 [1]). Wenn wir hiermit Donat. zu Anfang der Andria [2]) und des Phormio [3]) und die Worte des Euanthius de fab. p. LIIII West.[4]) zusammenhalten, so werden wir Lade-

1) 'Novo genere hic utraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur. Nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum fabulae. Hoc autem maluit Terentius quam ut per prologum narraret argumentum aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui . . . Hae personae Terentii more extrinsecus assumuntur, ut sic argumenti obscuritatem spectator effugiat.'

2) 'Sosiae persona protatica est: non enim usque ad finem perseverat: ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis et Syrae.' (cf. Donat. ad Andr. I, 2.)

3) 'Quod in omnibus fere comoediis, in quibus perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat, ut προτατικὸν πρόσωπον, id est personam extra argumentum, inducat: cui dum ob hoc ipsum, quod veluti aliena tota fabula est, gesta res narratur, discat populus textum ex continentia rerum sitque instructus ad caetera.'

4) West. p. LVI: 'Ad hoc προτατικὰ πρόσωπα, id est, personas extra argumentum arcessitas, non facile caeteri habent: quibus Terentius saepe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum.' Sed Euanthius testis plane abiciendus est, quia, qui eius tractatum cum Donato comparaverit, misero modo eum exscripsisse Donatum inveniet. Cuius rei unum exemplum praeter cetera luculentum afferre liceat. Habet enim

Donat. p. LVIII West.:	Euanth. p. LVI West.:
Epitasis est incrementum processusque turbarum, ac totius ut ita dixerim n o d u s erroris.	Epitasis incrementum processusque turbarum, ac totius ut ita dixerim m o t u s erroris.

cf. p. 22 adn. 2.

wig [1]) beipflichten müssen, der sagt: 'Um es nämlich kurz zu sagen, so bin ich überzeugt, dass die römischen Komiker ihre πρόσωπα προτατικὰ durch Contamination in ihr Drama gebracht haben.'"

Sed in hac quoque re viri eruditi iudicium non probo.

Primum de Hecyrae loco, quem Dziatzko protulit, quid sit iudicandum videamus. Et vero hic refutatio facillima est, quippe quam ipse Donatus nobis praebeat. Nam quid certius ac firmius testimonium potest esse, quam quod grammaticus ipsos Apollodori versus adponit [2])? Dziatzko quidem dicit [3]):

„Scheint somit die Contamination in der Hecyra mit einiger Wahrscheinlichkeit ermittelt zu sein, so wird sie doch wieder höchst fraglich durch den Umstand, dass zu Vers 58 (I, 1, 1) von Donat eine Parallelstelle des Apollodor angeführt wird." Veri igitur dissimilem fieri hic contaminationem? Immo vero de ea omnino cogitari non posse luce est clarius.

Porro quod Dziatzko ex Andriae commentario locum commemorat, qui suam opinionem sustentet, non intellexit, in hac quoque fabula personam protaticam, scilicet Sosiam, non irrepsisse contaminatione in comoediam, sed a Terentio esse inventam. Cuius rei hic quoque Donatus testis existit cum dicat [4]):

'Sed quare se onerat Terentius, cum possit videri de una transtulisse? Sic solvitur: Quia conscius sibi est, primam scaenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto: at in Andria Menandri solus senex est.'

Denique in Phormione Davi persona, quae est protatica, unde in fabulam venerit non constat.'

Ergo si recto ac simplici iudicio usi locos e Donati commentariis a Dziatzkone allatos consideramus, ne ex uno qui-

1) Beiträge zur Kritik des Terenz p. 8.

2) ad vs. 1 sq. — cf. supra p. 1.

3) l. l. p. 81.

4) ad Andr. prol. 13.

dem, Terentium contaminatione facta comparasse sibi personas protaticas, cognoscimus, sed 'extrinsecus' vel 'extra argumentum' eas esse 'assumptas': et quoniam non solum in Hecyra, verum etiam in Andria ita 'extrinsecus assumpsit' Terentius personas protaticas, ut ipse eas invenerit, nonne etiam in Phormione Davi personam eum invenisse veri admodum simile est? Quid igitur impedit, quominus Dziatzkoni eiusque auctori oblocuti semper invenisse Terentium personas protaticas contendamus? Sed nolumus nos 'in contraria vitia currere'. Immo sit incertum unde Terentius Davi personam sumpserit: reputetur porro id, quod poeta Sosiae personam tantum invenit, partes eius transtulit e Perinthia: tamen certe hoc quod initio voluimus assequimur,

> in hoc Hecyrae loco de contaminatione non esse cogitandum,

hoc vero insuper,

> quibuscunque verbis Donatus de personis protaticis dicat, id relinqui prorsus integrum atque incertum, sumpseritne poeta eas e Graeco exemplari vel ex altera quadam fabula, an ipse eas invenerit[1]).

Similiter de altero loco iudicandum esse videbimus. De quo Dziatzko haec monet:

„Ausser dem Anfang der Hecyra giebt es meiner Meinung nach nur noch eine Stelle, bei der an eine Contamination gedacht werden kann, III, 4, 1—15. Donat bemerkt nämlich zu Vers 1 Folgendes:

'Alia est ratio currentis ad argumenta, alia actuum comicorum . . . nam in hac scaena donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc εὕρημα inducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio.'

„Es werden also 15 Verse als εὕρημα des Terenz hingestellt. Dass aber in jenem Commentar Manches als Erfin-

1) Ceterum Ladewigus non de Terentio tantum, sed de omnibus Romanorum poetis comicis loquitur. Sed id disceptare huius loci non est: de Terentio eum errare vidimus.

dung des Terenz ausgegeben wird, was durch Contamination in die Stücke gekommen ist, können wir aus Donat. zu Andr. II, 1, 1[1]) sehen [vgl. Ihne, quaest. Ter. p. 10 ff.]. Daher ist es recht gut möglich, dass jene 15 Verse von unserem Dichter anderswoher genommen sind: doch kaum glaublich erscheint es, dass bei einer so unbedeutenden Entlehnung Gegner des Dichters behaupten und dieser zugeben konnte:

'Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas.'"

Vir doctus hic quoque miro modo diversa confundit. Nam Ihnium secutus, qui Charini et Byrrhiae personas ex altera fabula esse translatas ostendere conatur, Dziatzko et in Andria et hic falso de Terentii inventione Donatum dicere iudicat. At scholiasta hic habet:

'hoc εὕρημα inducitur'

illic:

'Has personas Terentius addidit fabulae.'

Nunc quis est quin intellegat, 'addere' poetam aliquid non magis de alieno quam de suo potuisse? Sed vir doctus illam sententiam per se incertam atque ambiguam ex una quadam parte accipiens et interpretans, inde profectus huic Hecyrae loco, qui certus atque definitus sit, sensum ei qui verbis significetur contrarium supponit.

Unum addam. Dziatzko cum in extrema argumentatione miretur, e tam levi mutuatione poetam tam graviter esse accusatum, caecutire in luce videtur. Nam quae fuerit apud Terentii adversarios contaminandi notio, satis eo perspicitur, quod scholiasta hic de uno versu contaminationis eum argutum esse tradit. Quodsi saepius singulos versus ex aliis fabulis deprompsit, certe unam conficiens Latinam comoediam 'multas Graecas' potuit contaminare. Fugit ergo nimirum virum doctum, quod Grauertus rectissime in libro de contaminandi apud veteres ratione docuit[2]):

1) 'Has personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum' etc.

2) p. 205.

„Ob aber das contaminare fabulam nur heisst, ex compluribus Menandri aut aliorum fabulis conflare unam [Mein. proleg. ad Frg. etc. I. p. XXXVI not.], oder überhaupt von dem Zusammensetzen einer Comödie aus verschiedenen Stücken, fremden und eigenen, und von der freien Bearbeitung im Allgemeinen zu verstehen ist, darüber kann man zweifelhaft sein: dass nicht bloss ganze Comoedien damit gemeint sind, sondern auch einzelne Gedanken, beweist klar Donat. zu Andr. V, 5, 3 ff.:

'Hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit. Et hoc est quod dicitur, contaminari non decere fabulas.'

Daher auch prol. Heaut.:

'Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas',

und Donat. zu prol. Andr.:

'ex multis unam facere.'" —

Quid igitur? Corruitne plane contaminationis suspicio? Quantum quidem e virorum doctorum quaestionibus pendet, sane corruit, recteque Ritschelius videtur iudicasse, cum diceret [1]):

„Endlich ist nicht einmal füglich abzusehen, welche Partie der Hecyra etwa einem zweiten Original könnte entnommen sein, da die Handlung so durchaus einfach ist, dass kaum eine Scene entbehrt werden kann zur Vollständigkeit auch nur einer einzigen Comoedie: ein Verhältniss, welches auch in den Worten des Euanthius de fab. p. LVI West. angedeutet ist:

'Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae quinque binos adulescentes habent [2]).'"

Tamen nos quidem facere non possumus quin contra di-

1) Par. p. 327.

2) Verum in hanc quoque sententiam Euanthii quadrat, quod de eo supra (p. 18 adn. 4) diximus. Nam videte quid Donatus doceat ad Andr. II, 1:

'Siquidem Andria ex duorum adulescentium pavoribus gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comoedia adulescentis effecerit.'

camus: nam superesse nobis nonnulla videntur, quae fortasse vestigia iudicanda sint factae contaminationis.

Haud pauci enim Hecyrae loci inter se comparati tales praebent dissensiones, quae non a poeta profectae esse videantur, nisi et fabulae et sui ipsius oblito.

Quod primum afferam, minoris momenti est. Agitur enim de Parmenone. Qui in actus I. scaena 2. inducitur Scirtum servum ita commonens[1]):

'Senex si quaeret me, modo isse dicito
Ad portum percontatum adventum Pamphili.
Audin quid dicam, Scirte? si quaeret me, uti
Tum dicas: si non quaeret, nullus dixeris,
Alias ut uti possim causa hac integra.'

Apparet igitur ex hoc loco, non ad portum iturum Parmenonem, sed aliud quiddam in mente habere nobis ignotum. Sic in extrema scaena[2]) ubi discedit a Philotide

'pergam', ait, 'quo coepi hoc iter'.

At vero postea[3]) a portu veniens una cum Pamphilo scaenam ingreditur, nec tamen uno verbo casu Pamphilum ei esse oblatum edocemur: immo ad ipsum portum, ubi herum exciperet, degressus esse videtur. Quo tandem cum Philotidi occurrebat ire voluit? Itane erat difficile poetae aliquid eiusmodi excogitare? Minime vero. Quid igitur verba tam obscura atque incerta facit? An adeo hoc curae erat poetae, quo pacto Parmenonem initio induceret? Ne ita quidem iudicandum videtur, quia quod sit facilius cogitari vix potest. Itaque quae huius rei causa sit non constat: constat vero, Parmenonem a Terentio induci aliquid molientem, quod ipse poeta postea omnino oblitus est.

Leve est quod modo tetigimus: quod sequitur maioris momenti videtur. Parmeno enim ubi cum Philotide quid ea absente factum sit communicat, Pamphili animum, quamdiu ab uxore alienus fuerit, Bacchidi deditum fuisse narrat:

---

1) vs. 1—5. 2) v. 119.
3) III, 1.

Ph. 'Quid interea? ibatne ad Bacchidem? Pa. Cotidie [1]).'

Eodemque modo postea Laches iratus filium his verbis increpat:

La. 'Confingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc quom abs te amoveris:
Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quae fuit,
Quamobrem abs te abiret? Ph. Plane hic divinat: nam id est': [2]) —

et in eadem scaena Phidippus

'Propterea haec irast', ait, 'nam ipsa narravit mihi.' [3])

At his locis plane contradicunt ipsius Bacchidis sancta seriaque testimonia: illa enim

'Si aliud scirem', ait, 'qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam ius iurandum, id pollicerer tibi, Laches,
Segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum [4]).'

Nec tamen ea aliud dicit aliud sentit, cum paulo post sola secum loquatur:

'Ego dum illo licitumst usa sum benigno et lepido et comi.
Incommode mihi nuptiis evenit: factum fateor' etc.[5]) —

Neque illud praetereundum est, Phidippum quoque, cum hic testis existat consuetudinis, quae fuerit Pamphilo cum Bacchide, mirum quantum a se dissidere. Nam cum antea de puero nil rescierit, a Pamphilo vero, malle eum uxorem quam matrem perdere audiverit, ineunte actu quarto, postquam natum puerum comperit, vehementer increpat mulierem, quippe quae totius dissensionis auctor fuerit. Sic

'Adeon pervicaci esse animo', ait, 'ut puerum praeoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
Potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta!

---

1) I, 2, 82.
2) IIII, 4, 71—74.
3) ibid. 89.
4) V, 1, 23—25.
5) V, 3, 39 sq.

Ego etiam illorum esse hanc culpam credidi quae te est penes' [1]): —

mox de Pamphilo ita iudicat:

'Multo prius scivi quam tu, illum amicam habere, Myrrhina,
Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adulescentiae:
Nam id innatumst: at pol iam aderit, se quoque etiam quom oderit' [2]): —

postea:

'Si modeste ac raro hoc fecit, nonne dissimulare nos
Magis humanumst, quam dare operam id scire qui nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,
Quacum tot consuesset annos, non eum hominem ducerem
Nec virum satis firmum gnatae' [3]).

Hoc vero imprimis notandum est, etiam in quartae scaenae initio eundem sese praestare Phidippum, quippe qui Lacheti dicat:

'Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina haec sunt mea uxore exorta omnia' [4]).

Quam vero, cum Laches vituperare et obiurgare Pamphilum inceperit, subito prorsus alium sese praebet! Etenim non solum, quamquam ipse de re omnino incertus est, dicit:

'Plane hic divinat: nam id est', [5])

verum etiam post Lacheti narrat quod factum esse nullo modo potest:

'Non mirum fecit uxor, si hoc aegre tulit.
Amarae mulieres sunt: non facile haec ferunt.
Propterea haec irast: nam ipsa narravit mihi' [6]).

Nam quando aut uxor aut filia, Pamphili esse culpam, Phidippo narravit? cum ineunte scaena a Myrrhina exorta esse omnia testetur. Neque, si id iam compertum habuisset, initio tam benigne et familiariter ad Pamphilum haec locutus esset:

1) IIII, 1, 17—20. 2) ibid. 26—28.
3) ibid. 37—41. 4) IIII, 4, 9—10.
5) ibid. 74. 6) ibid. 87—89.

'Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Adfinitatem hanc sane perpetuam volo:
Sin est ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum'. [1])

Sint qui dicant: 'At ipse Phidippus quo modo fiat ut secum ita dissentiat exponit, cum postea Pamphilo absente Lacheti dicat:

'Propterea haec irast: nam ipsa narravit mihi.
Id ego hoc praesente tibi nolueram dicere'. [2])

Simulavit ergo quae ante dixit et de culpa uxoris et de servanda affinitate.'

At nusquam, nisi omnia me fallunt, hoc in Terentii fabulis invenitur, consulto aliquem cum aliud dicat aliud sentiat, fucum alteri ita facere, ut spectatores quoque neque esse fraudem nec qua de re sit confestim intellegere queant. Quod ut probem nonnulla mihi exempla afferre liceat. Unum est ex Andria [3]), ubi Davus servus Chremetem decipit: verum id servum in mente habere tam luculenter ex argumento fabulae apparet, ut spectatores ne minimum quidem temporis spatium aut quid velit Davus aut quamobrem velit possint dubitare. Magis elucet hoc in altero loco, qui est in Eunucho fabula [4]): ubi Pythiae fraus non solum ex ipsa actione quasi nascitur, sed etiam his verbis

'Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar, ut ne impune in nos inluseris' [5])

plane praenuntiatur.

Tertius locos est in Hecyra [6]), cum Pamphilus Parmenonem, ne ille Philumenae audiat parturientis clamorem, ablegat. Et quamquam spectator, quin Pamphilus fraudem moliatur, non potest dubitare — quia tam facete poeta illam scaenam composuit [7]) — tamen Terentius Pamphilum clarissimis verbis quid facturus sit profitentem inducit:

1) IIII, 4, 13—16.
2) ibid. 89 sq.
3) IIII, 4.
4) V, 4.
5) ibid. 19 sq.
6) III, 4.
7) cf. supra p. 3 adn. 1.

'Adest Parmeno cum pueris: hunc minumest opus
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, quom datast:
Vereor, si clamorem eius hic crebro audiat,
Ne parturire intellegat. aliquo mihist
Hinc ablegandus, dum parit Philumena'. [1])

Hic autem ne verbum quidem Phidippus ante de ea re facit, nec spectatores possunt intellegere, prorsus eum aliter agere atque sentire: cum tamen id, quoniam ex eis quae ante gesta sunt concludi non potest, etiam clarius quam in illis aliis locis fuerit exprimendum.

Sed si haec sufficere non videantur ad efficiendum id quod volumus, ecce novum argumentum infero gravissimum. Etenim Phidippus, si illa simulasset, etiam eis verbis quae in scaenam prodiens retro ad Myrrhinam et Philumenam respiciens loquitur:

'Tibi quoque edepol sum iratus, Philumena,
Graviter quidem. nam hercle abs te factumst turpiter:
Etsi tibi causa est de hac re: mater te inpulit:
Huic vero nulla est': — [2])

necessario Lachetem Pamphilumque voluisset decipere. Quod factum esse nullo modo potest. Nam nunquam ita rem instituit Terentius, ut, si quis scaenam ingrediens retro aliquid loquatur — quod saepius invenitur — id ab iis qui versentur in scaena audiatur. Immo poeta si quam personam ita inducit, id spectat, ut cum arte et elegantia eam promoveat in scaenam, spectatoribus vero, quid ea usque eo egerit, vel potius quid eam egisse cogitandum sit, urbane significet.

Relinquitur ergo, quod initio voluimus, ut Phidippus, cum eius verba semper ita ut dicuntur sint accipienda, secum plane dissentiat, poeta vero hic quoque ita agat, ut vel maxime desideretur constantia atque concinnitas.

Nec minus in Pamphili persona describenda, quod in Phidippo reprehendimus, admisit poeta. Edocemur enim in

---

1) III, 3, 49—54. 2) IIII, 4, 1—4.

primo actu Parmenonis narratione [1]), aegre Pamphilum nuptias tulisse, cum servo de ea re saepius questum esse, uxorem tangere noluisse: denique hoc eum secutum esse, ut ipsa ultro ad parentes rediret. Sic Parmenoni dixit:

'Sed illam spero ubi hoc cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique'. [2])

Illa vero cum contumeliam hanc maximam tacens ferat, tandem ipsum Pamphilum benignitate sua commovet. Qua de re servus Philotidem his verbis certiorem facit:

'Hic animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus huius iniuriis
Paulatim elapsust Bacchidi atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est'. [3])

Denique Pamphilus quoque, intellegens, quanto opere ipse uxori obnoxius, illa de se merita sit, pudore affectus

'Tum uxori obnoxius sum', ait, 'ita olim suo me ingenio pertulit,
Tot meas iniurias quae nunquam in ullo patefecit loco'. [4])

Postea vero Pamphilus quam superbe loquitur!

'Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset: idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui,
Vere possum: ni te ex ipsa haec magis velim resciscere:
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Quom illa, quae nunc in me iniquast, aequa de me dixerit.
Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor deos'. [5])

Tum qualem postea Pamphilus sese praebeat respiciendum est. Sane quia puerum accipere non vult, acriter cum patre soceroque contendit: — de se vero suisque virtutibus nullum verbum! Quin etiam in eadem scaena, in qua subito quasi alterum Pamphilum existere modo vidimus, ecce redit idem ille Pamphilus, qui ante erat, haec locutus:

1) I, 2, 39—118.
2) ibid. 80 sq.
3) ibid. 92—95.
4) III, 1, 22 sq.
5) III, 5, 20—26.

'Quibus iris impulsus nunc in illam iniquos siem?
Quae nunquam quicquam erga me commeritast, pater,
Quod nollem, et saepe meritam quod vellem scio:
Amoque et laudo et vementer desidero:
Nam fuisse erga me miro ingenio expertus sum' etc.[1])

Tandem, cum omnia bene eveniant, quam felix laetusque est!

Denique, si cui tamen haec omnia non repugnare sibi, sed aliquo pacto inter se consentire videantur, insuper in Pamphili verbis ea rerum cum reliquo argumento discrepantia continetur, quae omnino ferri non possit.

Etenim Pamphilus non solum quam ipse bene meritus sit de uxore multis verbis diserte praedicat — cum ante sese acerrime accusaverit, eamque sese diutius habere non posse misero modo et questus sit et mox queratur —: neque solum uxorem in sese iniquam esse contendit, quam ipsum amare, tum vero e puerperio maxime dolere sciat: verum etiam satis petulanter testem citat uxorem eam, in quam sese superbe consuluisse paulo ante confessus sit.

Quae cum ita sint, neque in hac re, quam modo tetigimus, neque in eis quas supra explicuimus dubii quidquam est. Miro modo igitur poeta sibi ipsi contradicit: nec tamen ita contradicit, ut novi aliquid in fabulam inferatur, sed ut immutentur atque pervertantur et agentium personae et res ipsae.

Sed relinquamus haec quae aliquanto leviora videantur: unum difficillimum atque gravissimum superest, de quo explicatius dicere necesse sit.

Agitur enim de versibus illis in quibus Myrrhina a Pamphilo genero petit, ut contumeliam Philumenae factam celet:

'Parturire eam nec gravidam esse ex te, solus consciu's:
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.
Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septumus:
Quod te scire, ipsa indicat res. nunc si potis est, Pamphile,

1) III, 5, 35—39.

Maxume volo doque operam, ut clam eveniat partus patrem
Atque adeo omnis. sed si id fieri non potest quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod veri similest, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nil est quicquam incommodi,
Et illi miserae indigne factam iniuriam contexeris'. [1]

In his versibus viri docti iamdudum maxime offenderunt.

Fielitzius [2]), qui primus hanc quaestionem instituit, a versus 33 verbo aiunt proficiscitur, quod quo pertineat non accurate cognosci censet. Sed vir doctus, cum urgens illud 'post duobus . . mensibus' Parmenonem id tantum scire, abstinuisse Pamphilum initio uxore, nescire vero, per duorum mensium spatium eum abstinuisse contendat, nimis diligenter quasi aurificis statera examinare verba Terentii videtur. Immo rationem habentes eorum in fabula locorum, quibus conscium esse Parmenonem de concubitu aliquanto post nuptias facto ostenditur [3]), sic iudicabimus, poetam, cum diceret 'aiunt', intellexisse Philumenam atque Parmenonem. Quamobrem hac nova versus forma, quam vir doctus satis audacter procudit:

'Nam ait tecum post duobus concubuisse mensibus'

opus omnino non est: quin etiam id contra moneo, neglegi sic, quod Parmeno quoque conscius est.

Porro Fielitzius versum 34.:

'Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septumus'

ad temporum rationem explicandam interpositum esse docet.

At haec Myrrhina profert:

primum: Uxorem parturire neque ex te gravidam esse tu praeter nosmet solus conscius es.

---

1) III, 3, 32—41.
2) Rhein. Mus. N. F. XXXI. p. 304 sq.
3) 1, 2, 60 sq. — ibid. 68—70. — 3, 3, 50 sq.

d e i n d e: Nam illa duobus mensibus post nuptias tecum concubuit.

t u m: Illi vero patres quia filiam tecum non statim concubuisse nesciunt, si fieri potest, peperisse eam omnino celantor, ut puer possit exponi.

Haec artissime ita coniunguntur, ut et inter se omnia optime quadrent, neque quidquam ad rem de qua agitur plane explicandam necessarium desideretur. Quare acta ageret, qui in hoc loco temporum rationem explanaret: neque ille versus, si ea de causa interpositus esset haberetque eam quam Fielitzius vult vim, abundaret solum, sed etiam aperte confunderet sententiarum nexum atque perturbaret.

Pergit vir doctus, illo versu

'Tum postquam ad te venit mensis agitur hic iam septumus',

interposito factum esse, ut non iam cognosceretur, verba

'Quod te scire ipsa indicat res'

pertinere ad versum 33:

'Nam ait tecum post duobus concubuisse mensibus.'

At quid tandem Pamphilum scire res indicat? Philumenam illud dixisse? Minime vero: nam a nemine Pamphilus hac de re potuit certior fieri. An etiam, ipsum duobus mensibus post nuptias cum ea concubuisse, id eum scire res indicat? At quae esset illa insania! Immo omnino illa verba pertinent ad versus praecedentis verba haec:

'Parturire eam nec gravidam esse ex te' . . .

Denique ita concludit vir doctus explicationem: illis omnibus rebus factum esse, ut in versum 38, quem poeta ita edidisset:

'Dicam abs te ortum esse'

irreperet illud falsum

'Dicam abortum esse'.

Quid vero? Hoc igitur modo i n t e r p o l a t u m est verbum 'abortus' ac non per se fuit necessarium? Videte illum quem vir doctus non damnat versum 33;

'Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.'

Nam si duobus mensibus post nuptias cum ea concubuit, Bacchidis vero testimonio, novem aut decem menses praeteriisse inde a virginis compressione usque ad id temporis momentum, quo agitur fabula, efficitur, qui tandem fieri potuit, ut 'abortus' et re ipsa et verbis non existeret?

Sic non expedivisse Fielitzium difficultates apertum est. Verum insuper restat argumentum quo nihil omnino eum egisse probetur. Age iam respiciamus id quod totius argumentationis quasi fundamentum est unde vir doctus ea quae adhuc reputavimus concluserit.

Etenim postquam de Parmenone servo dixit id, quod supra protulimus, sic pergit:

„Die Zeitbestimmung des Verses 3, 3, 34, wonach Philumena im 7. Monat des Pamphilus Gattin ist, wird widerlegt durch ihren Vater, der sich (4, 1, 15 sq.) wundert, weshalb man denn aus der Entbindung ein Geheimniss gemacht habe,

'praesertim cum et recte et tempore suo pepererit.'

Vielmehr sind sie seit 9 oder 10 Monaten verheiratet, bald nach jenem nächtlichen Abenteuer, von dem Bacchis (5, 3, 24—34) berichtet" etc.

Quibus igitur argumentis nisus vir doctus prius testimonium damnat, illud alterum tenet? Nulla quod videam argumenta affert, sed simpliciter alterum versum altero refelli iudicat. Quodsi etiam nos hanc probandi rationem adhibere volumus, quid impedit quominus contra dicentes eiciamus verba Phidippi, vindicemus versum illum

'Tum postquam ad te venit mensis agitur hic iam septumus',

ut nupsisse eam Pamphilo ante septem menses exploratum sit? Sed ita agentes nihil agere nos quoque manifestum est.

Denique ne id quidem, unde profectus est, versus illos inter sese discrepare, recte vir doctus suspicatus est: immo optime eos inter se conspirare infra videbimus.

Et quoniam Fielitzium nihil profecisse intelleximus, eo

magis miror, Fleckeisenum [1]) eius argumentationi maximam partem obsequi atque adstipulari. Tamen unam rem felicius Fleckeiseno cessisse non infitior. Nam etsi ille quoque quam maxime damnat illud 'abortum', tamen non falso, ut Fielitzius, a ceteris mendis illud originem habere, sed a facili litterarum errore iudicat: cum simul de initio versus afferat coniecturam, quam verissimam esse vel primo obtutu apparet. Haec enim profert:

„Widerspruch . . muss ich erheben gegen die von Fielitz vorgeschlagene Aenderung des Anfangs von Vers 398 (3, 3, 38.):

'Dicam abs te ortum esse' etc.

Sehe ich auch einstweilen ab von der Oxytonirung des trochaeischen esse . ., so sprechen meines Erachtens zwei andere Gründe gegen den angeführten Änderungsvorschlag:

1) der bei weitem überwiegende Sprachgebrauch . . . fordert ex te bei ortum, nicht abs te:

2) Myrrhina durfte nicht ankündigen: ich werde sagen, es sei dein Kind — denn eine solche Versicherung aus ihrem Munde würde im vorliegenden Falle keinen Glauben gefunden haben — sondern sie musste Pamphilus bitten, er möge sagen, es sei sein Kind. Diesen beiden Anforderungen entspricht eine capitale Emendation dieser Stelle, die ich der Privatmittheilung des Herrn Dr. Robert Sprenger in Göttingen . . verdanke:

Dic amabo ortum ex te etc.

Man vergleiche noch die Schriftzüge der handschriftlichen Überlieferung mit dieser Sprengerschen Emendation:

DICAMABORTVMESSE
DICAMABOORTVMEXTE —,

so wird man dieselbe auch als palaeographisch sehr leicht anerkennen und zugleich begreifen, wie aus diesem Schriftbilde ein etwas gedankenloser Abschreiber schon in sehr alter Zeit — denn Donatus las in seinen Handschriften dasselbe, was in den erhaltenen steht — den verkehrten abortus heraus-

1) Fl. J. J. 113. (1876) 533—538.

lesen konnte, der dann die Verwandlung des ex te in esse zur nothwendigen Folge hatte."

Atque illo 'Dic amabo' quidem sinè dubio vir doctus primam versus partem ad integritatem revocavit: nam non solum ex ceteris, a Pamphilo aliquid peti, necessario concluditur [1]), verum etiam, si singulas litteras respicimus, vix quod simplicius sit potest inveniri.

Tamen cetera nescio an aeque probari nequeant.

Primum quidem iam ante Donatum ab antiquissimis temporibus codices ad unum omnes consentire in uno gravissimo vitio, textum nostrum Terentianum comparantes cum Donati commentario aut perraro aut nunquam fieri videmus. Si vero codices, quod mihi quidem veri dissimile videtur, omnes illud vitium praebuissent, vix dubito, quin Donatus veri invenisset vestigium. Nam ABORTVM ex ABOORTVM satis facile oriri potuisse concedimus: at illud EXTE tantum abest ut facile immutari potuerit in ESSE, ut contra et ad mendum superioribus verbis insidens animos quasi perduxerit, et recti certissimum fuerit vestigium.

Venio ad difficultates quae positae sint in ipsa re.

Primum in hoc offendo, quod, si ita ut Fleckeisenus vult legimus, idem vix tolerando modo ter repetitur:

Dic amabo puerum ex te ortum esse:
scio id nemini suspectum futurum:
immo ex te recte eum natum esse putabunt:
id quod etiam veri simile est.

Accedit alterum cuius vis atque auctoritas latius pateat. Myrrhina enim postquam illud a Pamphilo petivit, hunc finem facit orationis:

'Continuo exponetur: hic tibi nil est quicquam incommodi,
Et illi miserae indigne factam iniuriam contexeris.'

Nunc vero si Myrrhina Pamphilum eo induxerat, ut ipse e se natum esse puerum profiteretur, num erat ulla spes fore ut puer exponeretur? Nam rationem cur id fieret quam potuerunt afferre? An putabant, senes id concessuros esse?

1) cf. p. 41.

Contra hi nepotem libentissime excipiebant. Phidippus quidem ubi puerum natum sensit quominus ille exponatur magna vi et gravitate prohibet, cum haec Myrrhinae dicat:

'Interdico ne extulisse extra aedis puerum usquam velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem.
Ibo intro atque edicam servis, ne quoquam ecferri sinant'.[1])

Eodemque modo postea Laches filium his verbis increpat:

'. . . Quid dixti? eho an non alemus, Pamphile?
Prodemus quaeso potius? quae haec amentiast?!'[2])

Pamphilus igitur id quod promisit promittere Myrrhinae non potuit, nisi id erat certum atque firmum, puerum aut iam expositum esse aut expositum iri: quia nimirum alias puerum alere erat coactus, quippe quem ipse filium agnovisset. Ita cum postea puer non esset expositus, Pamphilus vero tacens suum esse puerum concessisset, scilicet de exponendo puero verbum nullum. Neque id contigerat, quod Myrrhina omnino spectaverat: nam certe 'iniuria' quidem puellae facta erat 'contecta', Pamphilo vero summum incommodum evenerat.

Denique Myrrhina cum Pamphilum ut ex se ortum puerum profiteatur orat hoc addit:

'. . . scio nemini aliter suspectum fore.'

At quid tandem, si Pamphilus Myrrhinae morem gerebat, cuiquam suspectum esse potuit? aut quis ullam suspicionem prae se fert, cum nepotem natum esse nuntiatur? Nemo scilicet: nam de Phidippo infra videbimus. Igitur si praecedebat:

'Dic amabo ortum ex te',

absurdum erat illud 'suspectum.'

Sic ne in hac quidem coniectura, quamvis sit speciosa, deesse quae dubitationem moveant videmus.

Et quoniam id maxime in critica arte sequendum est, ut quod memoriae proditum est non temere mutemus, sed primum totam rem probe perspiciamus et percognoscamus, tum, siquidem quod scriptum exstat teneri nullo modo potest,

1) 4, 1, 48—50. 2) 4, 4, 49 sq.

ita emendemus, ut quod reponamus quam proxime absit et a sententia scriptoris et a verborum atque litterarum conformatione, — nos quoque ita rem instituemus, ut eam quasi explicantes oculis totam subiciamus, tum, utrum aliquid praeter illud de quo dubitare non licet 'Dic amabo' mutandum sit, an potius id quod codices praebeant retinendum sit videamus. Quod ut nobis contingat, paulo fusius rem nosmet disponere necesse erit, ut, etiamsi nonnunquam repetere quae ante commemorata sint oporteat, tota res eo fiat clarior atque expeditior.

Pamphilus cum reversus ex itinere parturire Philumenam intellegat, perquam perterritus atque improviso oppressus a poeta inducitur. Sic enim animi dolore commotus secum loquitur:

'Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare quae nec opinanti accidunt': — [1])

post:

'Postquam aspexi, "o facinus indignum" inquam et corripui ilico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus'. [2])

Haec quis dubitet quin ille exclamare non potuerit, nisi id ei confestim fuisset certum atque exploratum, suum puerum esse non posse? Ita vero rem sese habere ipsa fabula docet, in qua Pamphilum non statim post nuptias cum uxore concubuisse legimus. Cuius rei testes sunt Parmeno servus et Myrrhina mater. Etenim ille haec Philotidi narrat:

'Nocte illa prima virginem non attigit:
Quae consecutast nox eam, nilo magis': — [3])

paulo post:

'. . . Diebus sane pauculis
Post Pamphilus me solum seducit foras
Narratque ut virgo ab se integra etiam tum siet' [4]) etc.

Myrrhina vero per quantum temporis spatium Pamphilus uxore sese abstinuerit his verbis accuratius indicat:

1) 3, 3, 1—2.
2) ibid. 16 sq.
3) 1, 2, 61 sq.
4) ibid. 68—70.

'Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus'.[1])

Quid ergo mirum si ita rebus comparatis Pamphilus animum prae se fert dolore afflictum?

Contra Laches et Phidippus postquam natum esse nepotem audiverunt, pueri partum suspicionis ansam dare minime profitentur. Huc pertinet Phidippi illud quod saepius commemoravimus:

'. . . praesertim cum et recte et tempore suo pepererit'.[2])

Neque omnino eos quidquam posse suspicari Myrrhina Pamphilo nuntiat:

'Parturire eam nec gravidam esse ex te, solus consciu's': —[3])

atque haud ita multo post:

'. . . scio nemini id[4]) suspectum fore,
Quin, quod veri similest, ex te recte eum natum putent'.[5])

Tamen potest Phidippus de patre dubitasse videri, cum Myrrhinam interrogaret:

'Peperit filia? hem, taces? ex quo?'[6])

Verum hoc paucis ita potest expediri, ut nemini in eo quidquam relinquatur offensionis. Nam de partu Phidippus erat celatus: casu eum animadvertit: mirum ni id seni suspicionis cuiusdam causam praebuisset, et quasi invitus ille quodammodo diffisus esset et uxori et filiae. Quid vero potius in suspicionem potuit venire in partu celato, quam ex quo puer ortus esset? Praeterea senex, ut est natura vehemens, dominandi studiosus, iracundus, quia aliquid clam se factum sit, in tota scaena uxorem obiurgare atque increpare conviciis

---

1) 3, 3, 33. 2) 4, 1, 16. 3) 3, 3, 32.

4) Quia ego quoque 'aliter' verbum adhuc explanare aut emendare nequeo, in constituendo versu Fleckeiseni coniecturae (l. l. p. 535)

'nemini id scio suspectúm fore'

obsequor, ita tamen ut teneam ordinem verborum eum qui traditus est. Vide infra p. 43.

5) 3, 3, 38 sq. 6) 4, 1, 12.

non desinit. Eiusmodi vero suspicionem eum nisi iracundia captum ne significare quidem potuisse ipse eo ostendit, quod Myrrhinae verbis:

'. . . Istuc patrem rogare est aequom?
Perii: ex quo censes nisi ex illo quoi datast nuptum obsecro?'[1]) —

lenitus statim atque mitigatus hoc respondet:

'Credo: neque adeo arbitrari patris est aliter'.[2])

Postea vero Laches gaudio et laetitia excipit nepotem atque salutat:

'Bene, ita me di ament, nuntias: et gaudeo
Natum illum et tibi illam salvam': —[3])

et mox:

'Nulla tibi, Pamphile, hic iam consultatiost.
Pa. Perii. La. Hunc videre saepe optabamus diem,
Quom ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem:
Evenit: habeo gratiam dis'.[4])

Similia quidem a Phidippo pronuntiata non sunt: sed cum ad uxorem, postquam puerum natum esse sensit, et haec:

'Adeon pervicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires'[5]) etc. —

et alia eiusmodi dicat, maxime conspicuum est eum neque post ullo modo de patre dubitare et amicitiam affinitatemque velle diuturnam.

Itaque constat, Phidippum Lachetemque in partu minime offendere. Id autem fieri non potuit, si re vera, ut Myrrhina illis verbis

'Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septumus'

indicare videtur, per septem tantum mensium spatium matrimonio Pamphilus Philumenaque fuissent coniuncti. Nam tum

1) 4, 1, 12 sq.
2) ibid. 14.
3) 4, 4, 20 sq.
4) ibid. 28—31.
5) 4, 1, 17 sq.

esset aut puer ante tempus natus aut virgo ante nuptias gravida facta: ut aut mirari aut suspicari eos aliquid quoquo pacto necessarium fuisset. Quamobrem iudico, primum, res ita fuisse comparatas, ut senes partum rectum atque maturum possent putare, tum, versum illum

'Tum postquam ad te venit mensis agitur hic iam septumus'

non significare illud, quod significare dicitur. Testem vero facio ipsius poetae versum hunc:

'... praesertim quom et recte et tempore suo pepererit'.

Quem nos hic iterum afferre ne mirere: nam cum supra Phidippum nihil suspicari eo comprobaverimus, hic in ipsa re per se reputata nihil esse suspiciosum aut dubium ex eo intellegitur.

Altera testis existit Bacchis, quae de vitiata virgine narrare sic incipit:

'Nam memini abhinc mensis decem fere ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum' [1]) etc.

Ex quo, quoniam novem fere mensium matrimonium fuisse constat, etiam hoc assequimur, nupsisse virginem Pamphilo paulo postquam vitiata sit. [2])

Quid ergo faciemus illo versu

'Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septumus'?

Num cum Fielitzio eum delebimus? Minime vero. An sibi contra dicere poetam profiteri sat habebimus? Immo hoc experiamur, si tamen aliquo pacto huius versus sententia cum ceteris possit conciliari. Et vero, adeo non cum eis, quae praeterea exstant, discrepat, ut contra affirmet ea atque comprobet, — modo recte intellegatur. Nam quid tam consentaneum est, quam ut 'ad te venit' hic intellegamus de concubitu Philumenae cum Pamphilo? Novem enim menses eos

1) 5, 3, 24 sq.

2) Eandem Fielitzii esse opinionem supra vidimus: quam quia falsa via atque ratione erat assecutus nihili aestimavimus.

coniunctos fuisse vidimus: per duos menses Pamphilum ea abstinuisse Myrrhina docet: ab eadem, restare menses septem postquam Philumena ad eum venerit hoc versu discimus. Atque ut e rei natura hoc evenit, ita vel maxime conspirat cum Graecae linguae usu, ex qua poeta scilicet fabulam transtulit. Erat enim apud Graecos usitatum, indicere atque, ut ita dicam, velare concubitus notionem — et mariti concubitus cum uxore et uxoris cum marito — hac casta significatione: *ἔρχεσθαι παρά τινα.*

Sunt in promptu exempla primum ex Herodoti historia repetita: II, 115.:

παρὰ τοῦ σεωυτοῦ ξείνου τὴν γυναῖκα ἦλθες: —

et VI, 68.:

Λευτυχίδης μὲν γάρ ἔφη ἐν τοῖσι νείκεσι λέγων κυέουσάν σε ἐκ τοῦ προτέρου ἀνδρὸς οὕτω ἐλθεῖν παρὰ Ἀρίστωνα, οἱ δὲ καὶ τὸν ματαιότερον λόγον λέγοντες φασί σε ἐλθεῖν παρὰ τῶν οἰκετέων τὸν ὀνοφορβόν, καὶ ἐμὲ εἶναι ἐκείνου παῖδα.

Et quamquam eandem significationem exemplis comicorum Graecorum comprobare mihi non contigit, tamen e vetere comoedia exstant, quae similia sint, ne dicam quae proxime absint ab hac elocutione:

Eupolid. frg. inc. 344 (Kock.):

παρὰ τηδεδὶ σὺ τῇ σοβάδι κατηγάγου;

Aristoph. Plut. 1045 sq.

Χρέμ.· ἔοικε διὰ πολλοῦ χρόνου σ' ἑορακέναι.

Γραῦς· ποίου χρόνου, ταλάνταθ' ὃς παρ' ἐμοὶ χθὲς ἦν;

Aristoph. Eccles. 693 sqq.

αἱ δὲ γυναῖκες κατὰ τὰς διόδους
προσπίπτουσαι τοῖς ἀπὸ δείπνου
τάδε λέξουσιν· δεῦρο παρ' ἡμᾶς.

Hoc ergo habeo persuasum, poetam, magis Graecae linguae quam Latinae usui consulentem, illud quod fortasse positum erat ab Apollodoro:

Ἔπειθ' ὅτ' ἦλθε παρά σε.

Latine ita expressisse, ut verbum verbo redderet.

Venio ad verba illa 'Dicam abortum esse'. Quae ut a Fielitzio non recte emendata esse Fleckeisenus iudicavit, ita nos quod Fleckeisenus voluit plane probari non posse ostendimus. Attamen illo 'Dic amabo' nihil rectius: quia quin ita res instituta fuerit ut Myrrhina aliquid a Pamphilo oraret, dubitare non licet. Cuius rei causae atque argumenta in propatulo sunt. Primum enim id sequitur ex his Myrrhinae verbis:

'Et illi miserae indigne factam iniuriam contexeris': —[1])

tum Pamphilus id testatur his verbis:

'Pollicitus sum, et servare in eo certumst quod dixi fidem': —[2])

denique Myrrhina secum sola sic queritur:

'Simul vereor Pamphilum ne orata nostra nequeat diutius
Celare, quom sciet alienum puerum tolli pro suo'.[3])

Quod restat argumentum Fleckeisenus attulit. Etenim quodcunque erat affirmandum aut profitendum, Pamphilo in hac re sine dubio multo maior erat fides atque auctoritas quam Myrrhinae, quae non modo fecisset nimirum, quod in rem fuisset filiae, sed etiam decipiens maritum erat deprehensa.

Sed quid tandem ut affirmaret ille Myrrhinae erat rogandum? Quid Pamphilo erat indicandum, quo et a se incommodum defendere et iniuriam Philumenae factam detegere posset?

Id ni fallor pronuntiare non debuit, puerum ex se ortum esse. Quis enim de ea re dubitabat? Laches postquam nepotem natum comperit laetitiam prae se fert: neque plane alium Phidippum sese praebere vidimus. Contra si Pamphilus, cum nemo de pueri origine dubitaret, suum eum esse sedulo confirmasset, nescio an id ipsum effecisset, quod ne fiat et ille et Myrrhina impedire conantur: suspicionem enim ipse patri soceroque iniecisset.

Quodsi quid Pamphilus proferre debuerit cognoscere volumus, videndum, in quo summa totius rei posita sit. Myrrhinae verba enim sic recte accipi censeo:

1) 3, 3, 41. 2) ibid. 42. 3) 4, 1, 60 sq.

'Senes, si fieri poterit, de partu celantor: puer silentio tolletur. Quodsi tamen peperisse filiam senserint, dic amabo . . .: sic contumeliam puellae factam contexeris, tibi vero nil incommodi erit, quia puer continuo exponetur.'

Ergo hoc erat constitutum, ut, quidquid fieret, puer confestim exponeretur: nam alias Pamphilo incommodum evenisset vel maximum.

Verum id ipsum, ut partus tolleretur, fieri non potuisse, si Pamphilus etiam ultro professus esset, e se puerum esse ortum, supra ostendimus. Nam causa exponendi prolata nulla illi patres, quo erant animo in nepotem, nunquam eum exponi sivissent: immo ubi talia moliri Myrrhinam Pamphilumque sentiunt, summa auctoritate atque constantia servandum puerum curant. Quocirca nihil Pamphilo, si puerum exponi voluisset, fuisset relictum, nisi ut e se illum non esse indicaret. At sic promissum Myrrhinae datum non praestitisset, atque, ut sibi incommodi comparasset nihil, ita iniuriam puellae factam non contexisset.

Quodsi Pamphilus id quod verum erat — vel potius id quod verum putabat — tacebat, quid tandem dicere eiusmodi potuit, quo ut exponeretur puer tamen effecisset? Hoc scilicet dicere debuit, quod exstat in libris:

'puerum esse abortum'.

Duas autem video illorum verborum explicationes. Etenim aut 'abortus' verbo ea vis vindicanda est, ut non immaturi partus, sed portenti tantum significationem hic exprimat. Nam si Pamphilus monstrum vel tale quid esse puerum confirmasset, sine dubio patres eum exponi iussissent. [1])

Hoc vero non concesso altera explicatio relinquitur, in qua 'abortus' verbo insuper immaturi partus significatio ser-

1) Non abhorrere eam verbi 'abortus' vim ab usu Latino, ostenditur exempli gratia illis Horatii versibus (Sat. I, 3, 43—47):

'At pater ut gnati, sic nos debemus amici
Si quod sit vitium non fastidire: strabonem
Appellat "paetum" pater, et "pullum", male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus' etc.

vatur. Constat enim, saepissime uxores, postquam in matrimonium datae sint, non statim partum concipere, sed certo quodam temporis spatio post. Quodsi senibus nuntiatum esset, peperisse filiam, sed immaturum esse partum, abortum, — scilicet aut moribundum aut qui diu vivere certe nequiret — quin tum puerum exposuissent dubitare non licet.

Quae cum ita sint, sive hoc sive illud quod supra proposui accipimus, abortus verbum servandum est, atque tantum abest ut illud nobis sit eiciendum, ut contra si non exstaret hic desideraremus atque reponeremus. Est igitur — modo ut illud 'Dic amabo' restituamus — totus locus integer nullamque medendi operam recipit: hoc vero, ut ipsius poetae manum recuperemus, ponendum esse censeo:

DIC AMABO ABORTVM ESSE . . .[1])

Atque ut ea quae praecedunt, ita quae insequuntur quoque in fabulae cursu cum eo quod modo constituimus optime consentiunt.

Etenim Pamphilus, quia hoc ab se impetrarat, ut reducere uxorem sese putaret indignum — sic enim dicit:

'Nam de redducenda, id vero ne utiquam honestum esse arbitror:

Nec faciam, etsi amor me graviter consuetudoque eius tenet': [2]) —

postquam in eiusdem actus scaena quinta cum Phidippo Lacheteque conveniens partum eos nescire sensit, ut Myrrhinae

---

1) Díc a|mábo ab|órtum es|sé ‖ scĭŏ | némĭnĭ ĭd | súspe|ctúm fo|ré. Versui ita satis fieri facile est comprobatu. Quod pertinet ad pedem nēmĭnĭ ĭd, constat, septenarii trochaici sedes omnes praeter septimam occupari posse a dactylo: tum in his monosyllabis: in, id, ad, ab, hic, hoc, aliis neglegere positionem comicis est in usu. Caesura solet fieri aut in pede quarto aut post eum. Quodsi ut hic dactylus eum occupat, usitatum est apud comicos, ut caesura fiat post arsin, sequatur verbum pyrrhichiacum. Denique illud oxytonon essé non solum est in arsi, sed pausa quoque fit intercedente et caesura et interpunctione. Sic essé satis excusari censeo.

2) 3, 3, 43 sq.

promissum praestet, de puero nato nihil commemorat, cur uxorem amittat aliam fingit causam.

At vero postquam Phidippus peperisse Philumenam animadvertit Lachetemque fecit certiorem, Pamphilus eiusque socrus, cum de abortu dicant nihil, non ut par atque consentaneum est agere videntur. Atque illam de puero tacere vixdum mirere, quia ad Pamphilum, ut cui maior fides esset, omnem rem contulerat. Sed ne Myrrhinam quidem timuisse, ne de origine pueri illi quidquam suspicarentur, ex eo apparet, quod fugiens maritum [1]) non ita secum deliberat

'ex quo eum natum dicam?' —

sed sic:

'id qua causa clam me habuisse dicam?'

Verum Pamphilo quoque, quoniam Phidippus puerum viderat, si eum abortum esse dixisset, nec fidei atque auctoritatis apud patres, neque exponendi partus fuisset spes relicta: quam abiciendam iam ante intellegere potuit, cum tanto gaudio tantaque voluptate illos excipere nepotem videret. Illa igitur spe erepta, consilio autem altero, ut matris inimicitia praetenta uxorem dimitteret, propter liberale Sostratae atque continens ingenium abiecto quid faciat nesciens quaecunque causa ei in mentem venit eam profert: primum: eiusmodi uxorem, quae peperisse sese maritum celet, manifesto neque eum diutius maritum neque ex eo liberos velle: tum, postquam pater acriter obiurgans eum id unum sequi contendit, ut uxore amota cum Bacchide ut ante vivat, Pamphilus

'Dabo', inquit, 'ius iurandum nil esse istorum tibi': — [2])

tamen Lacheti causam poscenti atque adeo flagitanti, quid iam proferat inscius

'Non est nunc tempus' [3])

respondet.

Denique Laches praecise

---

1) 4, 1, 1—6.
2) 4, 4, 75.
3) ibid. 77.

'. . . Puerum', ait, 'accipias: nam is quidem
In culpa non est: post de matre videro'. [1])

Ergo licebit ei uxorem ab se dimittere: puerum, qui causa est matris eiciendae, servare cogetur. Quid? Pamphili res nonne in eo statu sunt, ut miseriores esse non possint? Quid mirum ergo, si tunc plane de se suaque salute desperans discedit? Illi vero Bacchidem evocare constituunt, per quam res iam intricatissimae difficillimaeque tandem expediuntur.

Hic quaerat quispiam: At Pamphilus, postquam dignitatem pudicitiamque uxoris cum liberalitate et continentia tam diu servavit, ut suam ipsius salutem in discrimen dederit, cur non tandem sibi prospiciens alienum puerum esse profitetur? Adeone sese uxori obnoxium putabat, ut etiam illam quam putabat maximam iniuriam atque gravissimum incommodum eius gratia ferret?

At haec quidem difficultas facillime expediri poterit. Est hoc scilicet vitium fabulae novum, nova actionis inconstantia atque infirmitas: quae tamen, ut ad bonum finem omnia pervenirent, erat necessaria: nam si Pamphilus rerum iniquitati cedens promisso Myrrhinae dato non stetisset, puer esset expositus, uxorem non reduxisset: denique omnia male evenissent. Contra, quamvis ita quemquam agere veri sit dissimile, permagni intererat, ut tota res in hoc summum discrimen veniret: [2]) nam alias poeta Bacchidem in scaenam revocare, anulum illum oculis mulierum subicere non potuit. —

Pauca eis quae disputavimus de verbis 'Dicam abortum esse' adicienda sunt.

Primum si quis censeat, quae insequantur verba

'Quin, quod veri similest, e x t e r e c t e e u m n a t u m putent' [3])

poscere eiusmodi enuntiatum 'Dic si placet ex te eum natum esse': — is facile recte iudicet, erret vero, si ea de causa

---

1) 4, 4, 77 sq.

2) Valde equidem miror, Donatum iudicare epitasin molliorem, lenem catastrophen (Reiff. l. l. p. 12).

3) 3, 3, 39.

nostram lectionem respuendam censeat. Quid enim? Pamphilum, cum abortum puerum esse declaret, simul puerum de se natum esse profiteri nonne luce est clarius?

Praeterea illud

'scio nemini aliter suspectum fore'

cum eo quod Sprengerus Fleckeisenusque volunt,

'Dic amabo ortum ex te'

non solum vinculo ullo coniunctum non esse, sed etiam discrepare supra [1]) commemoravimus. Absurdum enim erat in ea re de suspicione omnino cogitare. At si restituimus vel potius servamus

'Dic amabo abortum esse',

optime in sententiam quadrat. An vero ita mirum fuisset, si senibus in re insolita atque inexspectata incidisset suspicio? quae, si ipse Pamphilus puerum quamquam praemature tamen e se ortum esse confirmarat, removeri potuit.

Restat ut etiam codicum scriptura id quod equidem volo commendari paucis exponam.

Primum commemoro ita illud verbum relinqui, quod consensu omnium librorum teneatur. Tum Donatum quoque ita legisse veri certe est simillimum, quia neque in eius lemmate neque in commentario quidquam nostram lectionem redarguit: ut ille quoque certus verbi 'abortus' testis existat. Denique hoc non praetermittendum est DICAM ABORTVM ESSE si non facilius at certe aeque facile ex eo quod nos restituere volumus atque ex illo quod Sprengerus reponit oriri potuisse [2]): quia facile is qui librum Bembinum scripsit illas litteras ABO quae erant repetendae aut errato praetermittere aut errato ab aliquo ante sese scriba positas iterum esse iudicare potuit. —

De Caroli Conradt sententia, quia eius librum [3]) ante adire mihi non contigit, re peracta demum dicere possum.

---

1) p. 35.

2) cf. quae supra p. 34 de 'ex te' diximus.

3) 'Die metrische Composition der Comödien des Terenz' p. 51 sq. adn. 2.

Et quamquam, quod ille vir doctus neque eicit nec mutat quidquam ex eis quae tradita sunt praeter ordinem versuum, eximie placet, tamen ad bonum finem eum rem perduxisse mihi persuadere nequeo.

Ita enim totum locum sanare vult, ut versus

'Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.
Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septumus'

postponat verbis:

'Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod veri similest, ex te recte eum natum putent.'

Versus enim locum quem in libris teneant ea de causa habere non posse, quia cum eis quae praecedant et quae insequantur recte atque apte coniuncti non sint. Nam Myrrhinam in versu 32., Pamphilum solum conscium esse de puero nato, in versu 35. sq., sese si fieri possit partum omnino celaturam, pronuntiare. Quo tandem pacto illic interponi posse verba 'Nam aiunt' etc., quibus alios quoque de partu scire indicetur? Tum quo pertinere verba 'Quod te scire ipsa indicat res'? Nempe ad ea quae praecedant:

'Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septumus.'

Quasi vero Pamphilus quo tempore ipse nuptias fecerit oblitus a socru id sit commonendus! — Denique quid sit res ipsa intellegi nullo modo posse.

Remotis vero illis versibus quod spectare ad verba 'Parturire eam nec gravidam esse ex te': id autem esse ipsam rem, quod Pamphilus exclamans 'o facinus indignum!' foras sese proripuerit.

Primum hoc contra moneo:

Etenim si quidem Conradtius ita ut modo vidimus intellegit verbum aiunt, nonne apparet, illud necessario non magis hoc loco discrepare cum versu

'Parturire eam nec gravidam esse ex te, solus consciu's',

quam ubicunque vir doctus illud reponat? Immo vero, ut nos supra [1]) explicavimus, illud a i u n t intellegendum est de Philumena atque Parmenone.

Porro rectissime docuit Conradtius, quod nos quoque supra [2]) constituimus: verbum q u o d pertinere ad 'Parturire eam nec gravidam esse ex te.' Quod quamquam eiectis illis versibus magis perspici libenter concedo, tamen versus ea de causa loco moveri oportere nego. Nam et apud ceteros comicos et apud Terentium saepius ea licentia invenitur, ut interiectis compluribus versibus pronomen demonstrativum vel relativum referatur ad ante commemorata. Quod etsi pluribus exemplis firmare possum, unum praeter cetera luculentum protulisse sat habeo, quod est in versibus huius fabulae V, 1, 17—23:

'. . . . . . La. Meum receptas filium ad te Pamphilum. Ba. Ah.
La. Sine dicam: uxorem hanc prius quam duxit, vostrum amorem pertuli.
Mane: non dum etiam dixi id quod volui. hic nunc habet uxorem:
Quaere alium tibi firmiorem, dum tibi tempus consulendi est:
Nam neque ille hoc animo erit aetatem, neque pol tu eadem ista aetate.
Ba. Quis id ait? La. Socrus. Ba. Mene? La. Te ipsam: et filiam abduxit suam,
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, exstinguere.'

Nam Bacchidem cum quaerat 'Quis id ait?' redire ad crimen in versu 17. ei obiectum apparet. — Eoque minus hoc loco in ea re offendendum videtur, quod etiam illi duo qui intercedunt versus pertinent ad id quod ante dictum erat: 'Parturire eam nec gravidam esse ex te.'

Quodsi illis versibus interpositis quominus q u o d spectet ad versum 32. non impeditur, id quoque minime dubium esse

1) p. 30. 2) p. 31.

potest, quin verbis r e s i p s a factum Pamphili supra memoratum significetur.

Nulla igitur ex parte necessariam esse eam quam vir doctus vult versuum traiectionem effecimus: age nunc num versus ubi ille eos ponat locum habere possint videamus.

Atque nescio an primo obtutu aliquis optime omnia ita coniuncta esse iudicet:

'Dicam puerum abortum esse, quia nemini id suspectum erit: immo recte — quamquam praemature — ex te eum natum putabunt. N a m aiunt eam tecum duobus mensibus post nuptias dormivisse: septimus vero est postquam tibi in matrimonium data est mensis.'

Nunc vero si septem mensium fuisset matrimonium, maritum autem per duos menses uxore abstinuisse pater socerque scirent, num, quaeso, fieri omnino posset, ut puerum ullo modo e Pamphilo recte natum crederent? [1]) Praeterea unde etiam illi eam cum Pamphilo tunc demum dormivisse intellegunt? cum ipsa fabula Myrrhinae et Philumenae Pamphiloque solum Parmenonem conscium esse doceat.[2]) Itaque vir doctus eandem discrepantiam quam supra sustulit versu traiecto hic restituit. Neque mirum. Nam, ut supra diximus, ubiubi versum

'Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus'

posuerit, nisi verbum a i u n t intellegit ut nos, eandem semper dissensionem cum verbis s o l u s c o n s c i u ' s statuemus.

Aliam in versibus ita coniungendis difficultatem vir doctus ipse ultro commemorat: quam puto maximam. Nam mirum vero est et non ferendum, quod, cum de puero dictum sit, dicatur de altera re, subito ad puerum sermo ita redit, ut ne verbum quidem p u e r vel p a r t u s vel aliud eiusmodi ponatur. At si versus in suo loco relinquuntur, et illic omnia inter se consentiunt, [3]) et hic disposita atque concinna est

---

1) Fielitzius cum Fleckeiseno, uncinantes versum

'Tum postquam ad te venit mensis agitur hic iam septumus',

hanc difficultatem vitaverunt.

2) cf. p. 30. 3) cf. p. 39 sq.

oratio, quoniam Myrrhina, postquam de filia egit, de puero loquitur usque ad finem. Sic Conradtius non modo non reconciliat quae errore fuerint diiuncta, sed etiam quae recte conexa sint, dissolvit atque divellit.

Iam unum restat quod afferam. Etenim quod ex ipsius viri docti claris verbis, intellegere eum verba 'Tum postquam ad te venit' de nuptiis, perspicitur, nosmet supra [1]) aliam illorum verborum interpretationem suscepisse moneo: quam qui probaverit, iam ea de causa, reiectaneam esse Conradtii coniecturam, necessario iudicabit.

Quae cum ita sint, salus est in versibus non contra librorum memoriam traiciendis sed ut perhibiti sunt recte interpretandis.

Sed iam diutius quam par est in hoc loco accurate exponendo versati ac propemodum exspatiati sumus: age redeamus ad eam rem, quae causa fuit huius loci pertractandi. Itaque nos, paulo explicatius quam ceteri hunc locum difficillimum interpretati aut certe interpretari atque explanare conati, eas difficultates, in quibus viri docti adhuc offenderint, maximam partem removeri posse vidimus. Tamen si quis contendat, relinqui etiam hic nonnullas discrepantias similes earum de quibus supra explicavimus, non contra dico. Quo vero pacto omnes illas discrepantias illatas esse in fabulam censebimus? Supra, ubi de ceteris illis locis egimus, non novi quidquam in comoediam inferri, sed immutari atque perverti et agentium personas et res ipsas constituimus. Sequitur ut poeta non contaminatione illa in comoediam immisisse, sed ea quae praeterea descripserit quodammodo oblitus esse videatur. Accedit illud quod Ladewigus [2]) vidit, ut in act. I. sc. 2 et Sostrata et Philumena, quarum personas maximi in fabula agenda momenti esse apparet, ita commemorentur, quasi iam ante in scaena fuerint spectatoribusque sint notae: cum tamen usque eo neque in scaenam prodierint neque narratione quae eae sint sit expositum.

---

1) p. 39 sq.

2) 'Beiträge zur Kritik des Terenz' p. 8.

Quid? ne illarum quidem personarum accurate rationem habuisse Terentium dicemus? Tanta illum levitate atque neglegentia comoediam confecisse? Minime vero. At qui tandem et hoc et illa cetera facta sunt? Nimirum ei poetae talia accidere non potuerunt, qui argumento excogitato fabulam commentatus sit atque composuerit usque ad exitum: potuit vero accidere ei, qui fabulam ante perfectam longiore spatio temporis intermisso retractaverit. Hanc vero viam ingressi, nisi me omnia fallunt, rectissimam instituimus rationem: quod luculenter probatur eis quae in didascaliis traduntur. Constat enim, fabulam cum bis non placuerit bis a poeta in scaenam esse relatam. Hoc ergo habeo persuasum, atque huc necessario pertinere summam nostrae argumentationis video, fabulam iam ante compositam a poeta esse retractatam, retractatam vero parum diligenter atque ut ita dicam invita Minerva.[1])

Corruit igitur plane contaminationis suspicio: composuit fabulam poeta unam Apollodori Hecyram secutus: denique nulla unquam fuit Hecyra Menandri.

---

1) Dziatzko, Rhein. Mus. N. F. XXI. 1866 p. 80:

'Auf Rechnung einer solchen Überarbeitung der 2. Scene (scil. des ersten Akts) könnten vielleicht auch einige Inconvenienzen gesetzt werden, welche sich bei Vergleich des Arguments nach der Erzählung in jener Scene mit dem Weiteren im Lustspiel Vorkommenden finden.'

Verum nos multo latius patere illas discrepantias vidimus.

Vita.

Natus sum Franciscus Hildebrandt Cammini in oppido Pomeraniae die XXIII. mensis Aprilis anni huius saeculi LVIII., patre Gustavo, matre Maria e gente Rhades, quibus superstitibus adhuc gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae.

Frequentavi inde a sexto usque ad duodevigesimum annum gymnasium Bugenhagianum Treptoviae ad Regam, ubi a. h. s. LXXVII. mense Februario maturitatis testimonium adeptus sum. Dein postquam per aestatem anni LXXVII. Marburgi studiis philologicis operam dedi, per septies sex menses civibus Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis adscriptus fui. Nunc in absolvendo examine pro facultate docendi occupatus sum. Ab autumno anni LXXXII. usque ad exeuntem annum LXXXIII. valetudinis cura coactus ruri praeceptoris domestici munus suscepi.

Marburgi lectiones virorum doctissimorum Caesar, Dietzel, Lucae, Leop. Schmidt, Stengel audivi. Berolini docuerunt me viri clarissimi atque doctissimi H. Droysen, Huebner, Kirchhoff, Lasson, Paulsen, Pfleiderer, Steinthal, Vahlen. Benigne concesserunt Vahlen et Hübner ut philologicis, Steinthal et Lasson ut philosophicis, H. Droysen ut historicis exercitationibus interessem. Quibus praeceptoribus amplissimis omnibus gratiam habeo meritam: prae ceteris autem Aem. Huebneri et Ad. Lassoni, qui summa cum benevolentia studia mea sublevaverunt atque auxerunt, memoriam pio atque grato animo semper colam.

